



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Sermo IX. Domus Sapientiae. Tropologicè. Ethicè. Moraliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

dam, illudque anima iterum inhabitabit: nam loquebatur de templo corporis sui.

III. DOMUS, Thronusque in cælo. *Scimus*, inquit Paulus Apostolus, 2. Corinth. 5. 1. *quoniam, si terrestis Domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod Ædificationem ex DEO habemus, Domum, non manufactam aternam in calis.*

Decorative separator consisting of two rows of repeating geometric patterns.

SERMO IX.

DOMUS SAPIENTIÆ

Tropologicè. Ethicè. Moraliter.



QUÆ sit illa DOMUS, quam Sapiencia ædificavit sibi pervarios sensus ac interpretationes huius agendo investigavimus hactenus; nunc tandem ventum est ad significationem Tropologicam, seu interpretationem Ethicam, quæ Latinis dicitur sensus Moralis, nostro proprius instituto, ac proinde in eo diutius morabimur. Quod ut fiat absque confusione, sit

ARTICULUS I.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Tropologicè.

COR JUSTI

HOMINIS Justi Cor considerat Ugo Cardinalis, ut Domum Sapientiæ, in quâ fundamentum est Fides, parietes, Spes, & Timor: altitudo, Humilitas: longitudo, Longanimitas: tectum Caritas. Septem Columnæ sunt septem virtutes, quas enumerat Apostolus in altera

K 4

ad

ad Corinthios cap. vii. *Ecce hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed Indignationem, sed Timorem, sed Desiderium, sed Æmulationem, sed Vindictam.* Septem alias Columnas contemplatur in Justo S. Bernardus super illud psalmi xcvi. 2. *Iustitia & iudicium correctio sed uentus, dicens, Superioribus debemus Reverentiam, & Obedientiam: paribus Consilium, & Auxilium: inferioribus Custodiam, & Disciplinam: Septima est iudicium iustum, ut iuste iudicemus.*

SEPTEM ab hic diversas Columnas comminiscitur Cardinalis Charensis: nimirum, Virtutes septem robustas, quæ maximè valent ad sustentanda septem onera, quæ sunt in homine mortali, Sunt autem ista. PRIMUM pondus proprii corporis: Sapientia ix. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Hoc pondus sustinet disciplina vitæ præsentis cum spe futuræ. Ad Hebræos xii. 5. *Fili mi noli negligere disciplinam Domini. Ver. 11. Omnis disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudium, sed maroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitie.* SECUNDUM Pondus Tribulationum; & passionum: quod satis leve est, quia breve. De quo 2. ad Corinth. 4. *In præsentem est momentaneum, & leve tribulationis nostræ. supra modum in sublimitate eternum gloriæ pondus operatur in nobis. Propter quod non deficiamus.* Hoc onus portat Patientia. TERTIUM, Gravamina proximorum quæ ipsi patiuntur, & inferunt. Hoc onus portat Caritas. Ad Galat. vi. 2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* QUARTUM Pondus, vel stimulus datus contra elationem de bonis concessis. De quo in alterâ ad Corinthios x i. 7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satana, qui me calumpniat.* Hoc onus portat Humilitas. Unde Gregorius

in

in Moralibus. *Aquas appendere in mensura*, est inter prospera & adversa, inter summa & infima, inter tentationes & dona animarum, sensum in humilitate custodire. Ut enim est Job. xxviii. 25. *Deus fecit ventis pondus & aquas appendit in mensura*: ejusdem beneficio, ut inter prospera & adversa Humilitate sit firmus Justus consequitur. QUINTUM, Tristitia, de dilatione præmii cælestis. Psalmo lxxviii. 4. *Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum*. Hoc onus portat Longanimitas. SEXTUM, Debitum officiorum, Hoc onus sustinet Discretio. Unde Jetro suadens discretionem Mosi dicebat Exodi xviii: 18. *Stulto labore consumeris tu & populus iste, qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere*. SEPTIMUM Pondus propriorum laborum, sive studiorum. Hoc onus portat Hilaritas conscientiæ. Sine qua cito corrumpit homo in laqueum acediæ.

ARTICULUS II.
DOMUS SAPIENTIÆ.

Moraliter.

JUSTI ANIMUS, vel ANIMA,

CONVENIT cum superiori emblemate, sive enim Domus Sapientiæ dicatur esse Cor justii hominis, sive ejus Animus, vel Anima, idem significatur: nempe, vel pars ipsius rationalis, in quâ proxime sunt virtutes, vel homo ipse totus justitiæ ac sanctitatis amans & sectator. Atque ita Domum Sapientiæ interpretantur multi ex Sanctis Patribus. Nam Sapiencia ædificat, aptat, præparat Animam, ipsumque Justum, ut in eo tanquam Domo, habitet Pater Filius & Spiritus sanctus, juxta Sapientiæ Incarnatæ promissum, Joannis xiv. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus*

diliget

diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. An non etiam mensæ accumbent, & cœnabunt in eadem Domo? Audi pollicitationem ejusdem: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* Apocalypf. iiii. 20. Itaque Justus, vel ejus Anima, est Domo, in qua SS. Trinitas inhabitat, & convivatur. Ita tere S. Athanasius Oratione V. contra Arianos, explicans illud, *Ex Deo Deus,* in disputatione contra Arium in Concilio Niceno, Actor operis imperfecti homilia xx. in Matthæum. S. Bernardus sermone iiii. De adventu Domini, S. Bonaventura Sermone de ingressu ad Sapientiam, & septem Donis Spiritus-sancti.

ARTICVLVS III.

Quæ, Qualisq; Iustitia constituat Iustum: & in eo Animam purissimum Domum Sapientie.

S. BERNARDUS sermone ix. ex parvis postquam se formasset pulcherrimè DEIPARAM, ut Domum Sapientie, quam imaginem in Symbolicis Mariam exposuimus, monet Nos, ut si ejusdem Sapientie Domus fieri volumus, iisdem quibus Domus Mariana, septem Columnis extruamur, id est, ut fide & moribus ei præparemur. Adjungit autem: *In moribus quidem solam præ sufficere JUSTITIAM, ceteris tamen virtutibus circumfultam. Itaque, ne errore fallatur ignorantia, sit ei prævia Prudentia. Sinde hincinde Temperantia atque Fortitudo: ne fortè labatur, in dexteram, vel in sinistram partem declinando.* Quod Sapienter dictum reor à Doctore Clarevallensi. & Iustitiam Antistitibus maxime advertendum: Solam Iustitiam aliorum officium sufficere, si aliarum virtutum choro cingatur: nam si solitaria sit absque illarum consortio contingit frequenter, vel errore, vel declinatione ad

mi-

mium rigorem (cum interdum, summum jus summa sit injuria) peccari. Id exemplis ex omni historia clarissimis & maximè admirandis ostendi posset. Unum tantum profero, quia recentius, & valere potest ad instructionem illorum, qui judiciis, & præcipuè rerum capitalium præsumunt. Apud illos Regula ex Justitiæ præscripto recepta est, Theologiâ etiam approbante: *Ex allegatis & probatis*, accedente præferim propriâ confessione, procedi ad sententiam condemnationis posse. Attamen, si hæc sola spectetur, & non adsit prudentia, æquitas, epikia, caritas, denique industria in Judice, omnibus viis investigandi, & eximinandi quod est dubium, ac eliciendi veritatem, facile aberratur. Excipite quid acciderit Neapoli Patrum nostrorum memoriâ, Pius V. Pontifex Max. Anno M. D. LXX. Pontificatus V. inter Cardinales XVI quos creavit, expressit quoque F. Paulum Aretium Italum, Istrii honesto loco natum, cui in baptismo Scipio nomen datum fuerat. Is Legum studio, & peritiâ insignis, caussarum capitalium Neapoli Judex. resignato officio, & seculari vitâ abjuratâ, Clericorum Regularum institutum, qui Theatini vocantur in monasterio S. Pauli amplexus est, deinde, mutato nomine, F. Paulus dictus. Cur autem seculum desereret, & religionem ingrederetur hæc fuit occasio.

Cum Judicem ageret, quendam ipse hominem insularum homicidii, & post probationes, allegationesque, tormentorum vi, expressa confessione, atque ita convictum suspendi jusserat, Reus, cum ad furcam diceretur, se nequaquam id scelus admisisse palam affirmabat. dolebat interim ac lamentabatur, quod falsâ delatione circumventus, ac tormentis superatus ad infamem ac innocentia suâ indignam suspendii mortem raperetur. Sed Judex post latam semel feralem sententiam,

am,

am, fractoq; judiciali bacillo, istiusmodi protestationibus moveri non consuevit. Sic frequenter suspenditur, suffocatur, ustulatur, omnique mortis genere afficitur: certe potest affici, innocens: quis contradicat? Admiratus tamen tot tamque constantes obtestationes Scipio nec ratus tormentorum violentiâ quemquam adire posse, ut fateatur, unde capitis periculum mox immineret, eam rem experiri voluit in domestico. Ergo stabulum clam ingressus, mulam suam pugione confodit, & mox à famulo doli ignaro sibi sterni jubet, tanquam gressuro. Is mulam interemptam referens, heri iustus in vincula coniectus, examinatus, tormentis exagitat, non admissum crimen fatetur: immo, causam addit, quæ probabilitatem augeat: se gladiolo mulam confecisse, quod recalcitrando molestiam exhibuisset. Qua re nimadversâ Scipio, & expendens secum diligenter, quanto in periculo tum Judices omnes, tum ii potissimum, qui capitalibus rebus, & hominibus torquendi præsumunt, versentur, quamvis maximè iusti videantur, postquam illatum famulo suo damnum, benigne ac liberaliter compensasset, exorsus periculosam Judicum conditionem, securionem vitæ rationem, & magis expeditam ad animæ salutem, viam religionis elegit. In quâ peragranda ita sedulus, continens, piusque procedit, ut post alias Ordinis sui dignitates à Civitate Neapolitana ad Philippum II. Hispaniarum Regem Catholicum cum Orator missus fuerit, tum Placentino Sacerdotio insignitus, denique à Pio V. in Cardinalium Senatum sit allectus. Sedente autem Gregorio XIII. Archiepiscopus Ecclesiæ Neapolitanæ renunciatus, cuius ibi non modò verbo, institutisque præclaris, sed rarioriam sanctitatis exemplo creditum sibi gregem ferè biennio instruxisset, vitam hanc mortalem cum immo-

rali c
luit, t
grati
lata l
&, u
Dom
nitat
sticia

Q
(a
V.M

IN
tiz
vulg
ita c
possi
sensu
mem
Sapier
molay
accip
ad C
Amb
mil. i
Sacr
terpr

rali commutavit, & in sui Ordinis templo tumulari voluit, sine epitaphio, quod id affigi humilitatis religiosæ gratia testamento prohibuisset. Quæ à me eo fine relata sunt, ut ob signata maneret D. Bernardi sententia, & , ut qui ad imitationem Dominæ nostræ optat esse Domus Sapientiæ, sciat post fidei in Sanctissimam Trinitatem Columnam triplicem, sufficere in moribus Justitiam, non quamlibet, sed illam, quæ in sese

Virtutes continet omnes.

Qua Justus extruitur in Domum Sapientiæ.

(a) *Alphonsus Ciacconius in, Vitis Pontif. & Cardinal. sub Pio V. Mortuus est Card. Aretius Anno 1577.*

A R T I C V L V S IV.

DOMUS SAPIENTIÆ

Spiritualiter

Anima Iusti dignè Communicantis.

INTER celeberrimas de significatione Domus Sapientiæ, interpretationes, est una apud Sanctos Patres vulgarissima, qua refertur ad EUCHARISTIAM, in quam ita conspirant plurimi doctores Ecclesiæ, ut dubitari possit, an accommodatitia appellari debeat, cum de sensu literali plurimum habere videatur, ob unanimum magnorum Patrum consentum. Certè verba illa, *Sapientia edificavit sibi Domum: Excidit Columnas septem. Immolavit victimas suas: miscuit vinum, & proposuit mensam suam* accipiunt de Sacramento Altaris, S Cypriacus epistola ad Cæciliam, & lib. 2 testimoniorum contra Judæos. S. Ambrosius lib. IV. de fide cap. 7. D. Chrysostomus, homil. in Psalmum XXI. Anastasius Nicenus quæst. XL. in Sacra- scripturâ aliique non pauci. Secundum hanc interpretationem DOMUS SAPIENTIÆ designare potest

&c

& Ecclesiam Christi, & Animam hominis Iusti, dignè in Eucharistiâ Christum recipientis. Et quidem in Ecclesiâ suâ Christus Eucharistiæ Convivium, lautissimum quotidie invitatis suis exhibet. Ut hic sit sensus sententiæ Salomonicæ: *Sapientia edificavit sibi Domum*: Christus Sapientia Increata, eademq; Incarnata, extruxit Ecclesiâ sibi suisque fidelibus, veluti cænaculum, aut TRICLINIUM. Hoc enim, ut superius est de monstratum, *Domus* hîc litteraliter significat, Nomen autem illud per belle accommodatur Ecclesiæ Christianæ, propter fidem SS. TRINITATIS, ad quam ingredi eam volens vocatur, & quilibet illam ingrediens ea initiatur.

BENE etiam Ecclesia, quatenus in eâ dispensatur Eucharistia vocatur *Triclinium*, quoniam exhibet in se quasi tres accubitorios lectos, in quibus Eucharisticæ Mensæ triplex hominum genus accumbit. Hos enumerans S. Thomas, Opusculo LVIII. quod est de Vener. Sacramento Altaris. dicit esse *Dignos, Indignos, Non-dignos*, Vocantur, *Non-digni*, qui nullius lethalis culpæ sibi conscii accedunt, tamen re ipsa non vacant culpâ: peccarunt mortaliter, sed peccati commissi non recordantur, aut illius notitiam non habent: in quib⁹, ut sentit Angelicus Doctor, Sacramentum peccati maculam eluit per accedens. *Digni* dicuntur, qui ab omni lethiferâ noxa liberi Mensæ divinæ accumbunt *Indigni*, qui vel una peccati mortiferi macula fœdati, nulla ignorantia excusabiles. Differit autem fusè eodem Opusculo Aquinas per capita omnino xxxi. de admirandis hujus Mysterii, deque requisitis ad illud dignè participandum, atque ostendit ingeniosè, omnia, quæ ad Eucharistiam pertinent, & in illa, aut circa illam considerari possunt commodè ad TRIA revocari.

ET imprimis Tres causas Institutionis Sacramenti

Cor-

Corporis Christi enumerat: Scilicet *Memoriam* Salvatoris, *Sacrificium* Altaris, *Cibum* hominis, Quæ tria disposuit in Sacramento hoc divina Sapiencia, contra Tria vetera mala scilicet contra oblivionem Dei, contra debitum rapinæ alienæ rei, contra corruptiones pomi mortiferi. Prima causa, quæ est Memoria Salvatoris Tria complectitur: nempe, memoriam de præterito, ut nostri Redemptionis, qui propter nimiam caritatem à morte mala morte sua liberavit nos: de præsentem, ut omnium Inspectoris, qui per occultam præsentiam omnia nostra cernit: de futuro, ut justus Judicis, qui per omnipotentiam suam omne pravum incorrectum districtè judicabit. In secunda causa, quæ est Sacrificium, Tria quoque considerat: Formam offerendi: Sacrificii legalis usurpationem: Excellentiam nostri Sacrificii. Ad tertiam causam, quæ est cibus hominis: nempe, quod Dominus suum Corpus dat in cibum, Tria perpendit, in quibus est triplex Sapienciæ divinæ ratio: summam liberalitatem, qua major esse non potest. *Primò*, quantum ad magnitudinem doni. *Secundò*, quantum ad nobilitatem dantis. *Tertiò*, quantum ad utilitatem accipientis. Summam curandi per cibum medicinalem diligentiam, *Primò*, quantum ad congruam curationis inchoationem. *Secundò*, quo ad continuationem. *Tertiò*, quo ad consummationem. Progreditur deinde S. Doctor. Et cur potissimum in specie Panis, vitæ auctor se manducandum offerre voluerit, Tres adsignat causas: & Tres subnectit, ob quas non alterius Panis quàm triticei. Post hæc, Tria Sacramenti Eucharistici Mirabilia deprædicat, & singula Tribus aliis constare ostendit. Præterea, Tria ad præparationem necessaria præscribit: & hæc Tria novis Ternariis amplificat. Postea triplicem manducandi modum proponit: & in singulis modis Tres differentias expli-

pli-

plicat. Ulterius, fructuum Tria quaternaria enumerat: & principales effectus Tres esse dicit. Tribusque nominibus principalibus exprimi adfirmat. Tandem potum Sanguinis Christi Ternario circumscribit. Quæ cum integra Capita haud brevia apud Auctorem suum conficiant, si legantur, amplissimam de convivio, contemplandi & differendi de Eucharistico convivio in Domo Sapientiae materiam. Inde autem apparet quàm convenienter Sacrum istud divinumque Convivium celebrari dicatur in Domo, seu Triclinio à Sapientia ædificato, cum in eo quicquid arripis, immo consideras, in Tribus, vel solitariis, vel cum alio Ternario connexis patinīs contineatur.

SEPTEM Columnæ, quibus fulcitur Cœnaculum Eucharisticum, sunt Doctores Ecclesiæ, qui repleti septiformi gratiâ Spiritus-sancti, divinissimi hujus Sacramenti arcana in lucem protraxerunt, & fortiter propugnarunt: Quorum scripta concipere licet, ut vela ipsa appensa, mensas Eucharisticas ab hæreticorum, ut mensarum morientium excrementitiis sordibus lances defendentibus defendentia. Jam vero, quod in hac ipsa Eucharistiâ interpretatione, sensu ad mores accommodato, Domus, sive Cœnaculum, à Christo æterna Domus Sapientia exædificata, rectè dicatur Anima Iusti accumbentis Mensæ Eucharistice, & digne de cælesti illa buccæ participantis, iidem, quos antea laudavi, Catholicæ doctrinæ assertores adfirmant. Et valet hic quoque figuram Triclinii. HABET Triclinii formam Anima Iusti, qui Christo Sacramentaliter, & Spiritualiter pascitur. Sum enim in illâ, ut in conclavi ad convivandum tribus lectis accubitatiis, mensisque instructo, tres Potentiæ, vel recubitoria aulæis floribusque exornata, & suaviter repleta dolentia. Nimirum *Memoria*, *Intellectus*, ac *Voluntas*.

his considerare licet Tres convivas, *Patrem, Filium, Spiritum Sanctum* hilariter cœnantes: in Memoria hæret Pater, Intellectum occupat Filius, in Voluntate versatur Spiritus, Amor vtriusque. Adjunge Trinitati Increate, creatam aliam Triadem: & in Intellectu colloca Fide, in Voluntate Caritatem, in Memoriam Gratitude, seu Gratiarum actionem, quæ memoriam beneficiorum consequitur. Aliam Triadem suggerit. S. Thomas, quam celebrat Ecclesia Catholica, sed sentit in se Anima Justifruentis deliciis Eucharistiæ, quæ triplices exprimentur in Carmine conviviali, *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur Memoria Passionis ejus: Mens impletur Gratia: & futura Gloria nobis Pignus datur!* Licet huc advocare Psalmem Regium, quod faciunt præclari Scripturæ interpretes. Is enim Psalmo cx. Ita intellectum Memoriam & Voluntatem depingit ac si circa Sacram Mensam in Animæ cænaculo tres lectos constituere voluisset, quemlibet cum suo conviva, *Audite. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se* En Memoriam, in qua epulatur Gratiarum actio. nam præcesserat: *confitebor.* id est, gratias agam, *Tibi Domine in toto corde meo.* Sequitur, *Initium Sapientie Timor Domini.* En Voluntatem, in qua recumbit Caritas, quæ per Timorem Domini filialem, ut exponit S. Augustinus, intelligitur. Denique, *Intellectus bonus omnique facientibus eum.* En Intellectum, in quo hæret Fides, DEI cognitio, Contemplatio, & ut legit S. Hieronymus *Doctrina bona,* Quibus instigatur Anima ad omnem virtutem, & jugem DEI operumque illius deprædicationem, quæ continetur epiphonemate *Laudatio eius manet in seculum seculi.*

Ut autem hoc animæ devotæ Triclinium sit firmissimum, ornatissimumque, Sapientia excidit Columnas

Prima pars.

L

sep-

septem, per quas, vel intellige definite septiformem Spiritus-sancti gratiam, quâ ad dignam Divinissimi Sacramenti participationem Anima Justi disponitur, ac deinde in gratiâ accepta firmatur: vel indefinitè, virtutes omnes, quæ simul & fulciunt, & ornant: fulciunt ut Columnæ, propter robur insitum, est enim virtus omnis per se constans: ornant, ut picturati tapetes, ob elegantiam adnatam: quare hic concipi possunt, ut perpetuata, ad ornatum & tutelam: ne cælestes epulæ, si ve velariis expositæ, ab incidentibus peccatorum, qui mortalium sordibus quâ venalium pulvisculis conspurcentur.

UTINAM quotiescumque ad Sanctissimi Sacramenti opiparam Mensam accedatis, Sapientia æterna ædificet in vobis Domum, id est, apparet cænaculum, & Trichonium tanta dignâ Majestate, Animam vestram, tribus instructam lectis convivialibus, Intellectu, Voluntate, Memoria: & Intellectum insternat tapete fidei, Memoriam aulæ Spei, Voluntatem peristromate Caritatis, sicque nunquam indigni, nunquam etiam, quod optandum, non-digni, sed semper digni, excipiatis, cum Christi corpore, Sanctissimam TRINITATEM, DEUM PATREM FILIUM & SPIRITUM - SANCTUM.

Amen.



NOTÆ.

[S. I. S. AUGUSTINUS in Psal. cxxvi.] Salomon filius Davidis ædificaverat Templum Domino in typo quidem & figura futuræ Ecclesiæ & Corporis Domini. Unde dicit in Evangelico (Ionn. 2) *Solvite Templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Quia ergo Salomon ædificaverat illud Templum, ædificavit tibi Templum verus Salomon Dominus NOSTER JESUS CHRISTUS, verus Pacificus. Est autem ille verus Pacificus, de quo dicit Apostolus in Eph-

Ephesios secundo *Ipse est enim Pax nostra, qui fecit utraque unum.* Ipse est verus Pacificus, qui duos parietes è diverso venientes in se copulavit, quibus factus est lapis angularis, venienti populo ex circumcissione credentium & venienti populo ex præputio gentium, & ipsorum credentium, fecit unam Ecclesiam ex duobus populis; & factus est lapis angularis, & ideo verus Pacificus, quia verus Salomon. Salomō autē ille filius David de muliere Bersabee Israël figuram gestabat hujus Pacifici, quando Templum ædificavit: ideo ne illum putes Salomonem, qui ædificavit Domum DEO, alium Salomonem tibi ostendens, intonat Psalmista.

§. II. *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Dominus ergo ædificat Domum: Dominus JESUS CHRISTUS ædificat Domum suam, Laborant multi in ædificando, sed si non ille ædificat, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Qui sunt isti, qui laborant ædificantes? Omnes qui in Ecclesia prædicant Verbum DEI, Ministri Sacramentorum DEI, Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modò; & ante nos alii cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt. Sed *nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Ideo quosdam videntes ruere Apostoli, & propriè Paulus ait *Dies observatis & annos & menses, & tempora, timeo ne fortè sine causa laboraverim in vobis* (Galaticæ. IV.) Quia noverat se intus à Domino ædificari; plangebatur istos, quia sine causa laboraverat in eis. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis nos advertimus: quid cogitatis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat; & amplificat sensum vestrum: & tamen laboramus & nos tanquam operarii. Sed *nisi Dominus ædificaverit Domum in vanum laboraverunt ædificantes eam.*

§. III. *Quæ autem Domus DEI & ipsa Civitas. Domus enim DEI Populus DEI, quia Domus DEI Templum DEI.* Et quid dicit Apostolus? *Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.* (1. ad Corinth. 3.) omnes autem fideles qui sunt Domus DEI, non solum qui modo sunt, sed & qui ante nos fuerunt & jam dormierunt, & qui post nos futuri sunt, adhuc qui nasci habent in rebus humanis usque ad finem seculi, congregati in unum fideles innumerabiles, sed DEO numerati, de quibus dicit Apostolus: *Novit Dominus, qui sunt ejus.* (2. ad Timotheum. 2.) Grana illa, quæ gemunt modo inter paleas, quæ massam unam factura sunt, quando area in fine mundi fuerit ventilata (Matthæi 2.) Omnis

ergo numerus fidelium ex hominibus commutandorum, ut fiat
 æquales Angelis Dei adjunctis etiam ipsis Angelis, qui modo
 non peregrinantur, sed expectant nos, quando à peregrinatione
 redeamus, omnes simul unam DOMUM DEI faciunt & unam Ci-
 vitatem. Ipsa est Jerusalem, quæ ut habet ædificantes, laborat
 ut ædificetur sic habet & Cultodientes, de quibus dicitur
*Nisi Dominus custodierit civitatem; in vanum laboravit, qui custodi-
 eam.*

§. IV. *Frater Autores nominatos per sermones, & scriptura Interpre-
 tes in Proverb. Ferdin. Salazar, & Cornelium de lapide, legatus
 Carolus Musart, libello, cui titulus, Sunamitis Christiana: sive de
 factus pii, quibus exemplo Mulieris Sunamitidis Eliseum hospitio
 recipientis. Anima disponitur, ad ritè, & magno cultu,
 fructu suscipiendum Christum in ve-
 nerabili Eucharistia.*

